

Index Argumentorum Decisionum.

DECISIO XLIX.

ARGUMENTUM.

Declaratur, Quid sit Sigillum Confessionis? A quotuplici jure proveniat? Quae persona teneatur illud servare? Et de quibus rebus? Quot modis Sigillum Sacramentale frangatur? Quando liceat Confessario uti scientia Confessionis? Poena contra hujus Sigilli violatores. Historia crudelitatis Wenceslai Imperatoris; ac exempla Confessariorum ultimo supplicio punitorum ob violatum Sigillum. pag. 186

DECISIO XLVIII.

ARGUMENTUM.

Agitur de Praecepto tum Divino, tum Ecclesiastico annuae Confessionis. Ostenditur, quas personas utrumque afficiat? Quando & Quomodo intra annum sit confitendum? Quae causae excusent ab annua Confessione? Circa eam Quaestiones diversae utiles, ac jucundae. Praecipue, an Papa teneatur confiteri? An Deipara Sacramentum Penitentiae susceperit? Et an peccata confessae, & remissa in hac vita sint ab omnibus videnda in die Judicii? pag. 190



DECISIO L.

ARGUMENTUM.

Agitur de Praecepto tum Divino, tum Ecclesiastico annuae Confessionis. Ostenditur, quas personas utrumque afficiat? Quando & Quomodo intra annum sit confitendum? Quae causae excusent ab annua Confessione? Circa eam Quaestiones diversae utiles, ac jucundae. Praecipue, an Papa teneatur confiteri? An Deipara Sacramentum Penitentiae susceperit? Et an peccata confessae, & remissa in hac vita sint ab omnibus videnda in die Judicii? pag. 190



DE PŒNITENTIAE VIRTUTE, AC SACRAMENTO.

DECISIO I. ARGUMENTUM.

Agitur de Virtute Penitentiae. Refertur Etymologia hujus vocis. Definunt Penitentia, & ostenditur, esse Virtutem Moralem, quae subiectatur in voluntate; & cujus objectum materiale est peccatum; formale vero dolor, & vindicabilitas peccati.

SUMMARIUM.

- 1 Etymologia Penitentiae; unde sic dicta?
2 Haereticis omnes odio habent Penitentiam.
3 Theodorus Beza cur convulsus a S. Francisco Salvo, sed non conversus?
4 Penitentia, ut Virtus quid sit? Eius definitio. Qualis Virtus?
5 Subiectum Virtutis Penitentiae quale sit?
6 Habitum Penitentiae an sit in Beatis? in Angelis? in Deipara? in Christo? in demonibus? in damnatis?
7 Objectum Penitentiae quale sit, tum materiale, tum formale?
8 Motiva penitendi Quae? Quot?
9 Officia Penitentiae Quae? Quot?

Quia tractant Theologi de Penitentia dupliciter, vel tamquam de Virtute tantum; vel tamquam de Virtute ac Sacramento simul; ideo nonnulla sunt prius declaranda, quae ad solam virtutem Penitentiae spectant. In primis autem notandum oportet Etymologia hujus nominis; alii enim volunt, Penitentiam dici à Penuria; cum enim peccator considerat paucitatem bonorum operum, & penuriam, qua laborat, meritum pro aeterna vita, cum poenitet, caedet, ac piget. Vossius in Etymologico lingua Latina V. Poena: alii autem eam sic appellari à Poena, quia tenet; id est retrò, quia à longe tenens, quia qui se culpae, & criminibus obrutum agnoscit, praereverecundia non se praefert; sed adinstar Publicani, de quo in Evangelio Luc. 18. 13. A longe stans, non vult nec oculos ad caelum levare; sed percussus pedus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Ita Pererius in Eccl. 11. Alii asserunt, Penitentiam idem esse ac Penitenciam, siquidem, ut inquit Isidorus lib. 6. De Sacramento Penitentiae.

Originum, A punitione Penitentia nomen accepit, quasi penitentia, dum ipse homo poenitendo quod male admisit. Ita Ivenin in Commentario Histor. & Dogmat. de Sacramentis Dissertat. 6. in princ. subdens haec Verba S. Augustini Epist. 54. Nihil aliud agunt, quos veraciter poenitet, nisi ut illi quod male fecerint, impunitum esse non sinant. Alii tandem communiter docent, Penitentiam denominari à Poena, ea ratione, quia quae poenitet culpam, sequitur voluntaria poena, & afflictio in eorum odium, & vindictam; poena vero significat quodcumque incommodum, seu disconveniens naturae, ex quo homo patitur afflictionem sive in potentia rationali, id est in animo; sive in sensitiva, videlicet in corpore; ut latius declarat Emin. Card. de Laurea in 4. Sent. tom. 2. in tractatu de Penitentia disp. 1. num. 1. & 2. Mastrius in Theologia Morali disp. 21. n. 4. Suarez in 3. part. D. Thoma tom. 4. disp. 1. sect. 1. Gonet tom. 5. tract. 5. disp. 2. ar. 1. & Collegium Salmanticen. in Cursu Theol. Moral. tom. 1. de Penitentia tract. 6. cap. 1. punct. 1. Qui omnes DD. resellunt errorem Lutheri, Bezae, Erasmi, & aliorum haereticorum hujus temporis, Penitentiae nomine abutentium: cum enim omnia aeterna fugiant, & mollia quaeque sectentur, docent, non esse necessarias poenas, aut afflictiones pro peccatis commissis; sed sufficere resipiscenciam, id est novitatem vitae; quamvis habeantur tot testimonia contraria in Sacra Scriptura, ut potest Joel. 2. Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejuniis, & fletu, & planctu &c. & Matth. 11. Si in Tiro, & Sidone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in te, olim in cinere, & cilicio Penitentiam egissent. Porro negantur haeretici etiam circa assertam resipiscenciam, & novitatem vitae; nam, ut legitur in Vita S. Franc. Salesti lib. 1. cap. 12. prope finem, Theodorus Beza, eorum coryphaeus, convictus ab eodem Sancto de falsitate suae doctrinae; & hortatus, ut salutis animae suae consulere, ac diverteret à concubina, cui adhaerebat, recuavit resipiscenciam, & emendationem vitae, estis annorum esset septuaginta. Quod si quaerimus de vera definitione virtutis Penitentiae inter plurimas relatas à Scholasticis, & Moralibus, placet illa, quam firmat Collegium Salmanticen. d. tract. 6. cap. 1. punct. 1. num. 2. his verbis: Penitentia est virtus residens in Voluntate, tendens ad destructionem peccati, in quantum est

zum est Dei offensa, media satisfactione, & dolore. Dicitur Virtus, sive Pœnitentia consideretur in habitu, sive in actu; utroque enim modo est conformis ratiõni, quod est de essentia Virtutis. Cœterum cujus generis sit hæc Virtus, an Theologica, an Cardinalis, an Moralis? An sit Virtus insula, vel acquisita? prolixè disputant Theologi, ut videre est apud Emin. Card. de Lauræa d. tom. 2. disp. 1. ab art. 4. & seqq. Maftrium in 4. Sent. disp. 5. q. 1. Gonetum d. disp. 2. art. 1. §. 2. Suarezium d. tom. 4. quest. 85. disp. 2. & Emin. Cardin. de Lugo in tono de Pœnitentia disput. 1. sess. 1. quorum alii volunt, Pœnitentiam reduci ad charitatem, quatenus ex amore Dei detestatur peccatum; eisdem enim virtutis est diligere objectum, & detestari oppositum; alii asserunt, eam pertinere ad virtutem Religiosam, quatenus honorem Deo debitum per peccatum sublatum, restituit; alii verò, juxta magis communem utriusque Scholæ opinionem docent, Pœnitentiam esse virtutem moralem, quæ reducitur ad Justitiam; siquidem hæc virtus inclinatur ad satisfactionem Deo pro injuria ei illata per peccatum, & ad puniendum illum, qui peccavit; satisfacere autem, & punire spectat ad Justitiam, ut doctè demonstrat Emin. Card. de Lauræa d. disp. 1. de Pœnitent. art. 7. & 8. & Maftrium in 4. Sent. d. disp. 5. quest. 5. ubi etiam disputando demonstrat secundum Thomistas, habitum pœnitentiæ ex suo genere esse infusum, atque simul cum charitate infunditur; at secundum Scotistas, non infusum, sed acquisitum esse ex peccatoris actibus, ac posse remanere informem in peccatore, sicut possunt remanere aliæ virtutes sine charitate; ut plene differunt, & pluribus rationibus probant idem Maftrius d. disp. 5. q. 3. & Emin. Cardin. de Lauræa; qui d. tom. 2. disp. 1. art. 10. num. 134. & num. 139. inter cœteras rationes, has firmat; scilicet, quod Virtus moralis acquisita ex 2. Ethic. cap. 1. illa est, quæ ex more, & consuetudine est generabilis; & talis est Pœnitentia, quia peccator conversus non experitur in se facilitatem, & promptitudinem ad pœnitendum; scilicet ad vindicandum peccatum, nisi post actum frequentationem. Prout etiam si esset infusa, neque esset meritoria, neque essent homines excitandi ad pœnitendum, neque minus terrendi, nisi pœnitentiam, ut sæpè vidimus fieri in Sacra Scriptura, nam expectandum esset, quando Deus eam infunderet; at quod non est in potestate voluntatis, non est meritorium; id autem, quod à Deo infunditur, est in ejus potestate. Porro videntur conciliandæ hæc duæ contrariæ opiniones, si dicamus, esse quidem habitum Pœnitentiæ non totaliter acquisitum, sed partialiter infusum cœteri, ob adiutorium supernaturale, quod ex parte Dei recipitur ab homine, qui conatur vindicare peccatum per actus Pœnitentiæ à sua voluntate imperatos. Sequitur in definitione, quod Pœnitentiæ virtus residet in voluntate, quia ejus subiectum non est, neque intellectus, neque potentia sensitiva, sive irascibilis, sive concupiscibilis, sed ipsa voluntas, ad quam spectat, detestari, & odio habere peccatum sub ratione mali, & offensæ Dei, & utiale, velle illud punire. Emin. Cardin. de Lauræa d. tom. 2. disp. 4. art. 1. Hinc sequitur, habitum Pœnitentiæ retineri posse in patria à beatis, qui illum habuerunt in via; cujus causa odio habent peccata, & si sibi permitteretur, vellent ea vindicare subeundo multas penas corporales; imò ipsos Angelos beatos ejusdem Pœnitentiæ habitus esse capaces, quatenus odio habent peccata hominum, & demonum, & cupiunt vindictam in satisfactionem Divinæ offensæ; & si Deus permitteret, parati essent ex motivo Divinæ charitatis penas in se pro eis suscipere. Et quod magis est, etiam in Christo, & Deipara admitti potest habitus pœni-

tentiæ in celo; cum enim in via odio habuerint peccata hominum, & tristati sint de illis, & susceperint in se ex charitate multos actus penales in vindictam illorum; sequitur, nunc etiam in celo à Christo, & à Sanctissima Virgine retineri habitum Pœnitentiæ, ex quo eis eximius decor resultat; ut latè Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 4. art. 4. & Maftri. d. disp. 5. à num. 40. & seqq. ubi contradicentium Theologorum opinionem, ac rationes refert. At in Angelis, ac hominibus damnatis in inferno nulla dari potest pœnitentia sive in actu, sive in habitu; quia nullum odium habent in peccatum; neque dolorem de offensa Dei, aut desiderium satisfaciendi; sed occupant mentem in sola tristitia ob penas sibi inflictas à Divina justitia, illam intenso odio prosequentes. Eminentiss. Card. de Lauræa ead. disput. 4. art. 6. Subditur in definitione; tendens ad destructionem peccati; quia objectum materiale Pœnitentiæ est peccatum, tanquam quid odibile, punibile, & vindicabile; sive sit mortale, sive sit veniale; sive actuale, sive originale; nam homo adultus ante baptismum laudabiliter potest pœnitentiam agere etiam pro originali peccato; & idem dicendum est de peccatis alienis, pro quibus virtuosus est unicuique christiano dolere, & penitere, prout etiam de propriis jam dimissis; ac enim licitum est, iterum odisse, ac pro eis penas lere. Idcirco, penalitates, & afflictiones ipsæ, quas pro peccatis patienter patimur, sunt objecta materialia Pœnitentiæ; ex traditis per eundem Emin. Card. de Lauræa d. tom. 2. disp. 2. per totam, & præcipue articulo. 7. & per Suarezium in 3. part. D. Thom. d. tom. 4. quest. 85. disp. 2. sess. 1. Additur in definitione, in quantum Peccatum est offensa Dei; quia objectum formale pœnitentiæ consistit in contritione; hæc autem detestatur peccatum, quatenus est offensa Dei summè dilecti; & imperatur æqualiter à virtute Charitatis, & à virtute Pœnitentiæ, ut ait Layman lib. 5. tract. 6. cap. 1. num. 5. cum enim Pœnitentia sit meritoria justificationis, & delationis peccati, cum voto tamen suscipiendi Sacramentum, & confitendi peccata, ut hunc operetur effectum, & justitiam peccatorem, debet ipse dolere de peccatis tanquam offensa Dei; si enim ex alio motivo detestaretur peccata, scilicet ob timorem poenarum, esset Pœnitentia imperfecta, non valens justificare peccatorem, nisi accedente ipso Sacramento Pœnitentiæ, Emin. Card. de Lauræa d. tom. 2. disp. 8. art. 8. & 9. & Gobat. in sua Theologia Experim. tract. 6. à num. 23. & seqq. ubi cumulat septem motiva, ob quæ homines solent detestari peccata, & de eis dolere; quamvis idem Auditor fateatur, ea omnia communiter reduci ad tria capita, nempe ad metum poenarum, ad turpitudinem peccati, & ad bonitatem divinam, cui peccando fuit irrogata injuria, ac offensus; & ob quam debent satisfacere. Ideo, Ultima definitio Verba sunt: media satisfactione, & dolore; quia hæc duo sunt officia veræ Pœnitentiæ, dolere de injuria, & offensa facta Deo; & ei satisfacere per penas voluntariè assumptas, sive ad compensandum ipsum Deum pro offensa; sive ad resarcendum jus Divinum, quod fuit læsum à peccatore, scilicet denegatam obedientiam Divinis mandatis debitam; sive ad incedendum pacem, & amicitiam cum Deo; sive ad vindicabilitatem peccati, quam principaliter intendit Virtus Pœnitentiæ; quia secundum Scotistas, peccatum sub ratione vindicabilis est verum objectum formale Pœnitentiæ. Emin. Card. de Lauræa d. tom. 2. disp. 3. art. ult. quem commendat Maftrius in 4. sent. d. disput. 5. art. 1. ubi sub num. 31. ita dicit: Quartus tandem dicendi modus est eorum, qui motum formale specialis Pœnitentiæ assignant, ipsum peccatum,

catum, ut vindicabile, hoc est commutabile in penam, & per aliquam satisfactionem, vel satisfationem expiabile; quod motum distinguit Pœnitentiam à ceteris virtutibus, quæ licet peccatum detestentur, ut contrarium proprio objecto, non tamen ulterius tendunt ad illud expiandum per aliquam satisfactionem; & hic est modus dicendi Scoti in 4. dist. 14. q. 2. & dist. 15. quest. 1. & fuit etiam D. Thomæ 3. part. quest. 85. art. 3. quem bene probat Brancatius (nimirum Eminent. Cardin. de Lauræa, qui ita denominabatur, antequam ob ejus egregias virtutes ad Sacram Purpuram elevaretur) Confirmat supradicta motiva novissimè Gobatus, ac illa declarat exemplo, dicens: Si fueris amico librum, in primis officis illum injuria propriè dicta, quæ mox tollitur, post quam reddidisti librum; aut post quam illum ipse tibi donavit: tunc enim postea est æqualitas, quam spectat singulariter justitia, deinde præter prædictam injuriam adest offensa; das enim ipsi causam, cur ejus animus magis avertatur à te, seu cui ejus animus magis exacerbetur, quam si alius id fecisset; juxta illud Psalmistæ, Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, tu vero homo unanimitas. Et hæc offensa non tollitur mox ut reddidit ei liber; sed tunc solum, quando exhibes amico à te lesio obsequia, ei petis veniam, & similia facis, pro quantitate offensæ; illa enim satisfactione postea tollitur offensa, omnis indignatio. Ita Gobatus in Theolog. Experim. d. tract. 6. num. 30. & ante ipsum Eminentiss. Cardin. de Lugo de Pœnitentia disp. 2. num. 50. & 51. quæ sufficient lectori ad intelligendam naturam virtutis Pœnitentiæ.

DECISIO II.

ARGUMENTUM.

Dolor acquisitus in Virtute Pœnitentiæ, & quantum esse debeat? Otienditur in lege Naturæ, ac Moysis necessarium fuisse dolorem perfectum, nempe Contritionem pro remissione peccatorum. Requiritur veritè Contritionis in lege gratiæ. Cur debeat esse penitens, ac dolere de peccatis, si Christus superabundanter satisfecit pro nobis? Resultatio doctrinæ Lutheri, ac Calvinii.

SUMMARIUM.

- 1 Dolor de peccatis qualis, & quantum esse debeat?
2 Contritio quid sit? quot ejus requisita?
3 Amor erga Deum duplex; & qualis sit necessarius in Contritione?
4 Propositum emendationis quodnam? & Quotuplex?
5 Necessitas pœnitendi, ac satisfaciendi Deo per poenitentiam pro peccatis, unde oriatur in nobis, si jam Christus satisfecit pro omnibus?

Cum itaque ex jam dictis duo sint officia, sive due partes virtutis Pœnitentiæ, dolere de offensa facta Deo per peccatum; & satisfacere Deo pro eadem offensa, declarare oportet, qualis, & quantum esse debeat iste dolor; & an sit adeo necessarius, ut sine illo non possit homo peccator æternam salutem adipisci? Quo ad primam quaestione partem, distinguere oportet tria tempora; scilicet status naturæ, legis Moysiacæ, & legis Evangelicæ. In lege naturæ, & Moysi ad obtinendam remissionem peccati in Penitente necessarius erat dolor perfectus, qui dicitur contritio; est autem contritio actus voluntatis, quæ dolet, & tristatur, offendens Deum pro peccatum, quod ex motivo amoris erga ipsum Deum, summo perè detestatur, seu ut ait Concilium Tridenti-

num sess. 14. cap. 4. Est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero; adeo ut contritio tria continere debeat, dolorem de peccatis, detestationem eorumdem, ac propositum vitæ emendandæ; juxta auctoritates Sacrae Scripturæ, quas refert ibidem Concilium, scilicet ex Psalm. 6. Laboravi in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum; Recognitabo tibi omnes annos meos in amaritudine anime meæ. Et Psalm. 50. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Et Ezech. 18. Proleste à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prevaricati estis; & facite vobis cor novum, & spiritum novum. Dolor autem contritionis accipi debet pro actu dolendi, non pro passione dolorifera; quia licet ut plurimum, cum quis conteritur, experiat in se tristitiam, & afflictionem, ac dolorem sensitivum, causantem lacrymas, & gemitus; tamen hæc passio sensitiva non est de essentia contritionis; ita enim se habet ad pœnitentiam dolor, sicut delectatio ad peccatum: sed delectatio, quæ facit peccatum, est actus, non passio, igitur dolor, qui constituit pœnitentiam, non est passio sola, sed actio. Emin. Cardinal. de Lauræa de Pœnitentia disp. 8. à num. 73. & seqq. Cardin. de Lugo eod. tract. disp. 2. num. 17. & Gobatus tract. 6. de Pœnitentia num. 38. & 39. Detestatio autem peccati est pariter actus voluntatis, quæ ita illud detestatur, & damnat, ut si fieri posset, vellent efficere, ut nunquam existisset; ut explicat idem Eminentiss. Cardin. de Lugo disp. 4. num. 16. & Gobatus num. 40. qui notabiliter advertit num. 87. dolorem, & detestationem peccati in contritione procedere debere ex Dei amore formaliter, vel saltem virtualiter super omnia, siquidem amor Dei vel est ex concupiscentia; idest quia nobis benefacit, aut benefaciturus est; verbi gratia largitur æternam gloriam; & hic amor non sufficit ad perfectam contritionem, quia non est super omnium; vel est amor amicitiæ, seu benevolentie, quo diligimus Deum propter seipsum, seu propter solam suam excellentiam, ac bonitatem; qui subdividitur, in amorem simplicitatis complacentiæ, quando amicitiam gaudemus, Deum esse talem, qualis est, excelsus, omnipotens, sanctus, justus, misericors &c. & in amorem obedientiam, quo tanto affectu illi conjungimur, ut parati simus, ipsi obedire etiam cum periculo cuiusvis mali perpetuandi in omnibus, ubique, & semper; non ob mercedem, sed ob ejus divinæ voluntatis, & voluptatis implementum. Qui igitur conteritur, dolet de peccato, & illud detestatur ob hæc motiva, dicitur habere contritionem cum Dei formali amore; qui verò dolet, & detestatur peccatum, tanquam offensam Dei, super omnia venerabilis, & obedibilis, dicitur eam habere cum Dei amore virtuali, qui satis est ad perfectam contritionem, ut pluribus argumentis probat idem Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. tom. de Pœnitentia disp. 8. art. 8. per totam, & Maftrius in 4. Sent. d. disp. 5. num. 88. & seqq. ubi citat pro hæc eadem opinionem Vasquezium, Suarezium, Averham, & alios Thomistas. Ulterius contritio debet habere propositum emendationis vitæ; & abstinendi de cætero à peccatis; quod quidem propositum debet esse firma voluntatis deliberato, non autem quedam velleitas; ut explicat Gobatus d. tract. 6. num. 284. & seqq. ubi num. 189. advertit cum Valentia, & Laymano, tamen quis considerata sua fragilitate merito timeat, imò etiam exiimet, se ad vomitum rediturus; id tamen nil obesse firmitati propositi; hæc enim firmitas est actus voluntatis; illa verò exiimatio dicitur actus intellectus, qui potest consistere cum priore voluntatis operatione. Itaque in

lege naturæ, & Moyſi homini adulto & peccanti erat neceſſaria contritio hæc perfectæ ad obtinendam remiſſionem culparum; juxta illud ex *Pſal. 50. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus; cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*, ubi ait Gloſſa: *Spiritus contritus eſt ſacrificium, quo peccata ſolvuntur*; Et hoc docet Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. in illis verbis: *Fuit quædam Pœnitentia univerſi hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaveſſent, quovis tempore ad gratiam, & juſtitiam aſſequendam neceſſaria*. Quod latè proſequitur probando Emin. Card. de Lauræa de *Pœnit. diſp. 14. art. 4.*

In lege autem Evangelicæ ad obtinendam remiſſionem culparum mortalium extra Sacramentum Pœnitentiæ requiritur ſupradicta perfectæ contritio; ita, & taliter ut fit annexa voto, id eſt firmo propoſito ſuſcipiendi ipſum Sacramentum Pœnitentiæ, ut deciuſum eſt ab eodem Concilio Tridentino diſp. 14. cap. 4. ea ratione, quia congruum erat, ut hoc modo dignificaretur Sacramentum Pœnitentiæ; cum inſtitutum fit à Chriſto Domino pro deletione mortalium, & reſuſcitatione animæ à morte peccati. Eminentiff. Cardin. de Lauræa diſp. 14. num. 70. cum actuali verò Sacramenti Pœnitentiæ ſuſceptione ſufficit Attritio, de qua infra Decif. XIII.

Et quoniam objectum formale Virtutis Pœnitentiæ eſt vindictabilitas, ſeu vindicta pœnitentiæ; quæ quidem vindicta fit à Pœnitente per voluntariam aſſumptionem, ſeu acceptationem pœnarum, quas Deo offert in ſatisfactionem offenſæ ipſi Deo factæ, dum peccavit; quarum quidem pœnarum (de quibus in ſequenti Decifione agemus) præcipua eſt interna triſtitia, & dolor ob commiſſa peccata; dubitare contingit, unde oriatur hæc neceſſitas triſtandi, ac dolendi de peccatis, & debitum ſatisfaciendi Deo pro ipſis per aſſumptionem, ac ſufficientiam pœnarum?

Acquidem certum eſt de fide, Chriſtum Redemptorem noſtrum paſſum, & mortuum eſſe pro peccatis noſtris, ac pro illis ſufficienter, imo ſuperabundanter ſatisfeciſſe Divinæ Juſtitie; ait enim Iſaias cap. 53. *Verò langores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*. Et Evangelista Joannes in *Epift. 1. cap. 2.* Ipſe eſt propitiatus pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantum, ſed pro toto mundi. Et in libro *Apocalypſis cap. 7. Dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*. Imò Apoſtolus Paulus in *Epift. ad Roman. cap. 3.* ſubdit, quod lumus juſtificati gratis per gratiam ipſius. Igitur, ſi ipſe ſatisfecit pro nobis, ſi gratis fumus ab eo juſtificati; unde habemus neceſſitatem faciendi Pœnitentiam, & per opera pœnalitatis ſatisfaciendi pro peccatis?

Reſpondetur, hæc eſſe inſtantiam, & argumentationem Lutheri in *Confefſione Auguſtina*, docentis, noſtras Pœnitentias, ac ſatisfactiones derogare meritis Chriſti; nec non Calvinii lib. 4. *Inſtit. cap. 4. ſ. 25.* afferentis, quod lacrymæ, jejunia, & charitatis officia, quibus dicitur ſatisfieri pro peccatis, ſunt mendacia, quibus opponitur gratuita peccatorum remiſſio, quia ſi gratis juſtificati ſumus; & ſi Deus pro nobis omnibus Filium ſuum tradidit, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Ergo, inquit ipſe, mendacia ſunt *Episcoporum, & Monachorum, ut Indulgentias adſtruant, & pecuniam comparent*. Ita ratiocinantur heretici, ut carnalitatibus, & immunditiis ſuis habenas laxent.

Pro reſolutione ſciendum, quod licet Deus de potentia absoluta poſſit condonare peccata hominibus abſque ulla pœnitentia eorum; ut tenet Suarez eod. tract. diſp. 9. ſc. 2. & Emin. Card. de Lauræa diſp. 14. art. 3. per totum, nihilominus Deus voluit facere Decretum, ut qui poſt ſuſceptum baptiſmum mortaliter peccant, non poſſent ſalvati abſque Pœ-

nitentia; nec liberari à culpa, ac pœna æterna, niſi per hæc virtutem formalem, ſeu virtutalem cum voto Sacramenti Pœnitentiæ; & dimiſſa culpa non poſſent abſolvi (aliquibus paucis ſacris exceptis) à pœna temporalis, niſi per opera pœnalitatis ſatisfacerent. Motiva hujus Divini Decreti fuerunt, ut offenderetur nobis non ſolum Dei potentia, & miſericordia in remittendis peccatis; ſed etiam ejus Sapientia, ac juſtitia; illa, docendo nos proportionem neceſſariam inter culpam, ac pœnam, & ne facilitas veniæ nobis præberet incentivum vitiorum; iſta, ut daretur aliqua compenſatio offenſæ Divinæ; cum enim omne peccatum fit injuria graviffima illata Deo, ob contemptum ſupremæ auctoritatis ſuæ; juſtum fuit, ut hæc injuria compenſaretur debita ſatisfactione, quæ in Pœnitentia, ejuſque actibus reperitur, ut piè diſſertit Sengerius in *Chriſtiano inſtit. ſerm. 19. part. 3.*

Et quoniam ex generali Scholaſticorum, & Theologorum conſenſu, quous cumulat Collegium Salmantic. in tom. 1. de *Incarnatione diſp. 1. ſ. 2. n. 117.* purus homo non poterat ſatisfacere ad æqualitatem pro gravi offenſa Dei, vel propria, vel aliena; quia Dei offenſa habet gravitatem ſimpliciter infinitam ex Divina Majeſtate injuriata, cui purus homo non valet offerre ſatisfactionem tanti valoris, ut illi gravitati adæquetur, idè Chriſtus Deus, & homo pro nobis ſatisfacere dignatus eſt; ita tamen, & ſub hac conditione, ut cum ejus ſatisfactione, eſſi copioſe, & ſuperabundanter facta, concurrerent cooperationes, ac ſatisfactiones noſtras, tum in mandatorum obſervantia, tum in Sacramentorum applicatione, ac in exercitio virtutum, operumque pœnalium; ut pluribus in locis docet Emin. Card. de Lauræa in tractatu de *Incarnatione diſp. 20. n. 35. & diſp. 21. n. 36. & in tom. de Pœnitentia diſp. 13. n. 29. & 30.* cujus verba ad majorem lectoris intelligentiam placet hic tranſcribere: *Deus videns humanum genus lapſum per Adæ peccatum, volens ſatisfieri ſue juſtitie, & liberari homines ab illa culpa, & pœna debita pro ipſa; nec non quotieſcumque homo laboretur in mortale, decrevit, Verbum Divinum incarnari, & ſuis actibus ſatisfacere pro culpa illis, in quas deberent homines incidere; & redimere eos à pœna æterna toties debita; non quidem omnes, & abſolute; ſed eos, qui aliquos actus exercerent, & aliquod Sacramentum applicarent, vel votum illius haberent, & ſic patet, quomodo & Chriſtus ſatisfecerit copioſe, & quod fit neceſſaria ſatisfactio hominis. Et hoc dicere intendunt Theologi, cum dicunt, Chriſtum ſatisfeciſſe pro culpa, & pœna hominum in actu primo; id eſt meruit, ut ſatisfactiones hominum eſſent Deo acceptæ, & meritorie, ut iis poſſit, ipſe placere, & culpam, ac æternam pœnam remitteret. Itaque actus hominis pœnitentiales ſunt ſatisfactorii in virtute ſatisfactionis Chriſti; & dicit poſſunt quæſi complementum exigunt à Chriſto, ut ejus ſatisfactio proſit homini; & hoc modo poſſe intelligendum illud Apoſtoli ad *Coloſenſ. 1.* Adimple ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea; nihil enim videtur deſiſſe paſſioni Chriſti, niſi noſtra cooperatio, noſtraque particularis ſatisfactio.*

Hæc eſt igitur neceſſitas, quæ adtingit peccator ad pœnitentiam, eſſi Chriſtus pro omnibus ſatisfecerit; quia Chriſti ſatisfactio ſuit cum conditione, ut & nos peccatores pœnitentiam ageremus; idque habetur expreſſe in Scriptura Sacra: *Luc. 3. Facite fructus dignos Pœnitentiæ*. *Luc. 13. Niſi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis*. Et Apoſtolus Petrus in prima ſua concione ad Judæos ait *Ad. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquiſque veſtrum in nomine Domini*. Et cap. 3. *Pœnitentiam ergo, & converſimini, ut delentur peccata veſtra, & in Epift. 2. cap. 3. Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ut quidam exiſtimant, ſed patienter agit propter vos, volens*

volens aliquos perire: ſed omnes ad pœnitentiam reverti. Et Joannes in *Apocalypſi cap. 2. Age pœnitentiam, & prima opera fac*. Et cap. 3. *Emulari, & pœnitentiam age*. Et Apoſtolus Paulus in *epiſt. 2. ad Cor. c. 7. Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*.

Et ex his omnibus manifeſta fit falſitas doctrinæ Lutheri, & Calvinii negantium neceſſitatem pœnitentiæ poſt commiſſa peccata, attentis meritis, & ſatisfactionibus Chriſti, qui gratis nos juſtificavit: gratis enim nos redemit, quia ſcilicet ex ſua ſola benevolentia, & abſque noſtro merito; at ejus Paſſio, & redemptio præſcindit ab operibus noſtris; quibus debemus cooperari ad noſtram ſalutem, obtemperando mandatis; & poſt eorum tranſgreſſionem, dolendo, peccatum deteſtando, ac opera pœnitentiaalia agendo, ut fructum Paſſionis Chriſti conſequi poſſimus.

DECISIO III. ARGUMENTUM.

Diſquiritur, An poſt adimpletam Pœnitentiam Sacramentalem tenemur facere alias pœnitentias voluntarias? Rationes pro utraque parte, & reſolutio quæſiti Utilitates ex voluntariis pœnitentiis. Atrocitas pœnarum Purgatorii. Difficultas in aſſequendo fructu Indulgentiarum.

SUMMARYUM.

- 1 Affiſiones voluntariæ præter Sacramentalem Pœnitentiam an de Præcepto aſſumende? Rationes pro affirmativa numer. 2. Pro negativa numer. 3.
- 2 Pœnalitates ſpontaneæ ſunt utiliſimæ.
- 3 Carnificæ deſiciente unus ex pluribus Reſi aſſumendus.
- 4 Pœnitentia Sacramentalis an deleat totum reatum?
- 5 Remiſſio culparum an certò ſciatur in hac vita?
- 6 Pœnitentiæ antiquæ erant annorum ſeptem.
- 7 Purgatorium pro ſatisfactione culparum an expediat eligere?
- 8 Purgatorii pœne quàm ſint acerbæ?
- 9 Indulgentiæ an valeant pro his, qui reſpuunt voluntarias Pœnitentias?
- 10 Indulgentiæ ut plurimum inſuſuſe? Et cur?
- 11 Exempla Animarum Purgatorii potentium ſuffragia.
- 12 Regularibus omnibus conceſſa Indulgentia plenaria in articulo mortis.
- 13 Veniaſia cur rarò dimittantur in hac vita?

Tante igitur neceſſitate dolendi, ac pœnitendi pro obtinenda remiſſione actualium peccatorum, alia quæſtio eſt examinandæ, an ſcilicet, poſt adimpletam Pœnitentiam Sacramentalem, tenemur ad præcepto aſſumere alias Pœnitentias voluntarias pro remiſſione reatus, ſeu pœnæ temporalis, quæ remanet luenda vel in hac vita, vel in Purgatorio pro culpis jam dimiſſis?

Pro parte affirmativa facit primò Scriptura Sacra, quæ in pœnitente requirit opera pœnitentiaalia, lacrymæ, jejunia, &c. Ita Joel cap. 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro; in jejunio, & ſteſu, & planctu*.

Secundò, quia Chriſtus Dominus dixit *Matth. 5. Veſt. 5. Beati qui lugent &c.* ubi Gloſſa interlin. & ordin. declarat, *Beati qui lugent pro ſuis, vel aliorum peccatis*. Et idem docent SS. Patres, Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophylactus, Chromatius, Hieronymus, Leo, quorum ſententias referet Barra-

das tom. 2. in *Evangel. lib. 7. cap. 3.* ſuper illud *Beati qui lugent*, ac alias plures adducit Suarez de *Pœnitentia diſp. 15. ſc. 7. num. 3.*

Tertiò, quia Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 14. docens Pœnitentiam eſſe ſecundum tabulam naufragii, camque conſiſtere in contritione, ac confeſſione peccatorum; ſubdit, illam requirere etiam *Satisfactionem per jejunia, elemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritalis vite exercitia*.

Quartò, quia Caſſianus *Collat. 23. cap. 15.* ſcriptum reliquit; eum, qui poſt baptiſmum mortaliter peccavit, aut diuturna pœnitentiæ aſſiſione, ac pœnali dolore purgandum; aut certò pro his in futuro æterni ignis ſuppliciiis addendum. Quibus verbis innuere videtur; eum, qui poſt confeſſionem, non curat voluntariis afflictionibus ſatisfacere pro pœna temporalis, peccare mortaliter, & eſſe dammandum in inferno.

Quintò ſuadet ratio; ſicut enim peccatum commiſſum eſt ab anima, & corpore ſimul: ſic juſtitia exigit, ut pœna ſolvatur non à ſola anima, ſed etiam à corpore. Hoc autem nullam pœnam ſolveret, niſi affligeretur in hac vita; & ſatisfactio pro peccatis eſſet faciendæ ab anima in Purgatorio. Ita Ganus de *Pœnit. reſol. par. 3. concl. 2. & Paludan. in 4. diſp. 17. quæſt. 1. art. 1. in 5.*

Nihilominus contraria ſententia communis eſt apud Theologos, qui tenent, eſſe quidem de Præcepto ſatisfactionem Sacramentalem, impoſitam per Confeſſarium pœnitenti; non autem ultroneam ſatisfactionem virtute Pœnitentiæ debitam pro pœna temporalis, quæ remanet poſt dimiſſa peccata; hæc enim abſque culpa poſſet homo velle ſolvere non in hac vita, ſed in Purgatorio. Probat hæc libertatem ita. Primò: Nulla lex obligat reum, ut ipſemet in ſe puniat delictum; ſed ſolum ut ſuſtineat patienter pœnam à Judice inſiſtam. Cum ergo Deus fit iudex, & vindex peccatorum, & in Purgatorio puniat ad æqualitatem, quando in hac vita ſatisfactum non eſt, poſſet peccator ſine ulla iniuſtitia diſſerre caſtigationem, ſeu ſatisfactionem ſui peccati utque ad Purgatorium.

Secundò: Nulla eſt differentia inter pœnam temporalem debitam pro peccatis mortalibus dimiſſis, ac inter illam debitam pro peccatis venialibus non dimiſſis. Sed peccator hæc non tenetur diluere in hac vita ex præcepto; & ſufficit ei, ſi ſatisfaciat pro venialibus in Purgatorio. Ergo idem dicendum de ſatisfactione pro mortalibus, de quibus fuit confeſſus, & abſolutus.

Tertiò: Quod non eſt contra charitatem Dei, vel proximi, & non privat æterna beatitudine, poſſet omitti in hac vita abſque culpa mortali. Sed diſſerre ſatisfactionem non ſacramentalem, ſed ſola virtute Pœnitentiæ debitam pro peccatis dimiſſis, & pro pœna temporalis, non eſt contra charitatem Dei, vel ſui ipſius; quia Animæ Purgatorii ſunt in gratia, & licet eis diſſeratur poſſeſſio æternæ beatitudinis, tamen de ea ſunt ſecuræ. Igitur non eſt de Præcepto ſatisfacere per pœnalitates voluntarias in hac vita.

Quartò: Quia Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. de *Pœnit. cap. 1.* loquens de neceſſitate Pœnitentiæ; & explicans in quibus hæc neceſſitas conſiſtat, nominat tantummodò dolorem, ac deteſtationem peccati, atque emendationem vite; non autem voluntariam aſſumptionem pœnarum pro ſatisfactione pœnæ temporalis; ita enim dicit: *Ut perverſitate abjecta, & emendata, tantam Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtarentur*. Et eadem ſeſſ. 14. cap. 8. diſſerens de ſatisfactione, quæ fit per pœnalitates voluntariè aſſumptas in hac vita; offendit quidem uberrimum fructum ex ea provenientem; ſed nunquam nominat eam neceſſariam de Præcepto, niſi quando imponitur à Confeſſario in Sacramento Pœnitentiæ.

Igitur abque culpa possunt homines post adimpletam satisfactionem, & Poenitentiam sibi à Sacerdote junctam, abstinere ab ulteriori satisfactione pro poena temporali, quam luere debent pro peccatis confessis, & dimissis; reservantes sibi illam luendam in Purgatorio.

Neque obstant argumenta contraria; quia tria prima ex Scriptura Sacra, & ex Concilio Tridentino intelligenda sunt de exhortatione, non autem de Praecepto. Quartum verò dictum à Cassiano interpretandum est de peccatoribus non accedentibus ad Sacramento Poenitentiae, vel saltem in voto illud non suscipientibus cum perfecta contritione. Et ad Quintum respondetur, rationem illam non urgere; aliàs sequeretur, quod Animæ in Purgatorio existentis, cum sint corpore exuta; non satisfacerent pro peccatis, de quibus corpus fuit particeps; & tamen contrarium est de fide. Præterquamquod corpus, velit, nolit, non potest se omnino eximere à penalitatibus in hac vita, nam ut ait Job. 14. 1. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Et Rex Salomon testatus est Eccl. 1. 14. Vidi cuncta, quae sunt sub Sole, & ecce universae vanitatis, & afflictio spiritus. Et cum retulisset omnes delicias, quibus frui conatus est in vita sua, subiunxit Eccl. 2. 11. Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi. Nec levis est penalitas, quam patitur homo, in deliciis vivens, dum recordatur, se esse mortuum, & quod anima separanda est à corpore; juxta exclamationem ejusdem Salomonis Eccl. 4. 1. O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis?

Porrò, quamvis homines non adstringantur de Praecepto ad voluntarias penalitates assumendas pro satisfactione poenae temporalis remanentis post Sacramentalem confessionem, nihilominus magni refert, ut ipsi fatagant, eas assumere, & spontaneas poenitentias facere ex sequentibus motibus.

Primo ex jam dicto, quod sicut corpus peccavit una cum anima; ita convenit, ut ipsum quoque poenitentiam faciat, & penalitates voluntarias, ad satisfaciendum in se assumat. Ubi duo Rei sunt ad mortem condemnati, deficiente carnifice contingit frequenter, ut Judices offerant vitam uni eorum, si velit in alium exequi sententiam, ut eleganter dicitur Tholofanus in Synagm. Jur. lib. 31. cap. 38. num. 5. Anima, & Corpus carere sunt ob peccatum ad mortem damnati. Si igitur anima per poenitentiam puniat corpus liberat seipsum à sententia mortis, ac ipsam coram salvum facit in aeternitate. Ideò ait Tertullianus lib. de Poenitentia. In peccatorem Poenitentia pronuncians, pro Deo indignationem fingitur.

Secundò: Ut sciant peccatores ex regula ordinaria per Poenitentiam sacramentalem tolli quidem peccata quo ad maculam, non autem quo ad reatum; nisi enim interveniat intensissimus dolor, & amarissima contritio, delentur quidem peccata virtute Sacramenti Poenitentiae quo ad culpam, & poenam aeternam; sed remanet poena temporalis, satisfacienda vel in hac, vel in alia vita, ut definitum est in Concilio Trident. sess. 14. can. 12. his verbis: Si quis dixerit totam poenam simul cum culpa remitti semper à Deo, satisfationemque poenitentium non esse aliam, quam suam, qua approbentur, Christum pro eis satisfecisse: Anathema sit.

Tertiò: Quia omnes Sancti, qui in quocumque statu naturæ, legis Moysis, & Gratiae lapsi sunt in peccata; quamvis per contritionem veram obtulerint remissionem; non cessant usque ad mortem Poenitentiam agere, affligendo seipsum multis penalitatibus, ut de Adamo, de Rege David, & de S. Maria Magdalena licet videre.

Quartò: Nam non affligere corpus, quod pecca-

vit, idem est, ac si adultera, cui conjux pepercit, iterum alluderet, ac blandiretur adultero. Siquidem anima, quae cum corpore voluptates reas capit, dicitur moraliter mechari, juxta illud: Fornicata est cum amatoribus multis. Hier. 3. 1. & hinc insurgit major Dei contemptus, testante S. Jo: Chryso. Hom. 60. ad Populum: De peccatis non dolere, magis Deum irasci facit, quam peccare.

Quintò: Tanto magis, quia nullus in hac vita, abque speciali revelatione, potest esse certus de sua justitia, & de obtenta remissione peccatorum, juxta illud Eccl. 9. Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit? Et Ecclesiast. 5. De propitiis peccato non li esse sine metu; & Prov. 30. Quis potest dicere mundum esse cor meum; purus sum à peccato? ut late demonstrat Collegium Salmanticen. in Cursu Theologico tom. 6. tract. 14. disp. 9. §. 1. & 2. Idcirco qui certus est offensisse Deum, & incertus est, an sibi condonaveric offensas, debet in operibus poenalibus, ex amore poenitentiae se exercere; & per ea se magis, ac magis præparare ad gratiam Dei verè obtinendam; Deus enim recipit eum, qui ad se confugit; ut docet S. Thomas 1. 2. q. 112. art. 3. & 3.

Sextò: Sed præcipue, esto quod nobis verè sint dimissa peccata, incumbendum est adibus poenitentiaibus, ut evellantur mali habitus, & inclinationes vitiosae, quae remanent in anima, post peccatum. Hoc expressum est ab eodem Tridentino Concilio d. sess. 14. cap. 8. in illis verbis: Satisfactorie poenae medentur peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus, mali vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt.

Septimò: Et super omnia expedit pro peccatis dimissis continuam poenitentiam facere, ne iterum in eadem peccata labamur. Hoc idem notatur à Trid. Conc. cit. cap. 8. dum dicit, quod eadem satisfactorie poenae magno per à peccato revocant, & quasi frano quodam corectore, cautioresque & vigilantiores in futurum poenitentiae efficiunt. Causa tot relapsuum post confessionem; & tot recidivorum ad vomitum peccati, est omisit operum penulium. Satisfactio à Confessario imposita tam modica est, ut ea breviter adimpleta, statim obliviscitur poenitens gravitatem offensae Dei, & reincidat in prioribus culpas, à quibus abstinere, si more primitivæ Ecclesiae longas, & afflictivas penas assumeret; afferente Angelico Doctore in Supplement. quest. 15. art. 2. in corp. Quod non facile homo ad peccata redit, ex quo poenam expertus est. Cespitantem equum calcari percutimus, ne iterum pede offendant; & teste Divo Gregorio in prim. Psal. poenit. Omnis curatio, quanto difficilius acquiritur, tanto acquisita cautius custoditur. Hinc consuetum fuit in Ecclesia, ut pro majoribus criminibus poenitentia non minus, quam spatio septem annorum concluderetur, cap. Hoc ipsum. 33. quest. 2. quae autem sint crimina majora, leguntur in Canonibus Poenitentiaibus impressis in fine tertiae partis Decreti Gratiani; & relatis etiam à Reginaldo in Praxi fori Poenitentia lib. 7. num. 54. quos legisse Confessarios juvabit.

Sed dicit aliquis: Non curo differre satisfactionem pro peccatis meis post mortem, si sufficit ea luere in Purgatorio. Huic respondeat pins, ac eruditissimus Theologus Georgius Gobatus in suo Quinario tract. 4. n. 288. ubi vers. 2. scribit: Nonnullas animas in Purgatorii flammis ita graviter cruciari, ut plurimum annorum poenitentia valde rigida non aquet valore illum cruciatum; & citat Bonacium tom. 1. De Indulgentiis disp. 6. quest. 1. quæ. 2. n. 3. Tolerum lib. 6. cap. 23. ubi addens subdit: constat ex Beda lib. 5. cap. 13. Histor. Anglie. nonnullas animas ad extremum usque iudicii diem poenit illis direxandas esse.

sci: &

10 se: & Martinum de Roa in libello de statu Animarum Purgatorii ubi cap. 5. ait: La gravetza, e durezza di queste pene è tale, che la misera di esse, come dice Sant' Anselmo è maggiore, che la maggiore della nostra vita. E Sant' Agostino sicne per ignorante colui, che per mancamento di questa confederazione dimanda di Patire nel Purgatorio, potendolo evitare con la poenitentia in questa vita. Et de hac re horrificè refert exempla. Igitur quàm imprudens est dicere, luam Peccata mea in Purgatorio? Sed adhuc ille replicabit, spero effugere penas etiam Purgatorii ob frequentiam Indulgentiarum, quae in Ecclesia Catholica conceduntur. Quid in contrarium tanta spei allegari potest?

In primis opponi potest doctrina Cajetani, quam amplexus est Navarrus in trad. de Jubileo, & Indulgent. notab. 21. quod scilicet, Indulgentia nihil prodest illis, qui post confessionem suarum culparum, non curant per voluntarias poenitentias, ac afflictiones satisfacere pro ipsis. Ne pigeat Lectorem audire verba Navarii: Mover me (ait) ad hanc opinionem tenendam; primo quod per eam suus honor Indulgentiis servatur; Christiani ad poenitentiae opera subeunda excitantur; Christiani ad poenitentiae opera debacchantur; & suffragia Ecclesiae non contemnuntur. Deinde movet me, quod indignus est aliena ope, qui sibi non vult operari, cum possit, iusta leg. Bona fides ff. Depositi, & gloss. 2. & con. Doctr. in cap. Quo in Ecclesiarum. De constit. cui alludit illud Apostoli 2. ad Thessalon. Qui non vult operari, non manducet. Qui ergo poenitens etiam gratiam Dei gratum facientem habeat, non vult, aut non curat, cum possit, satisfacere de reliquiis suorum peccatorum, sive de pana, quam propter consequens, temporalis, indignus erit ope aliena; & per consequens, ut Ecclesia ei de thesauro praedictio subveniat. Subdit postea idem Auctor alias sex rationes ponderosas pro sua opinione ibi videndas; quam non improbabilem vocat Henriquez lib. 7. cap. 8. num. 3. & alii inter quos Fumus Verb. Indulgentia num. 13. sic pronuncians. Aliqui sunt tepidi, qui licet sint in gratia, rogant tamen sibi dari parvissimam poenitentiam, & gaudent cum parva datur; & cum illam minimam excecuti fuerint, non curant aliam facere. Et isti sic negligentibus non profunt Indulgentiae. Ex quo patet, quod quasi omnes remanant decepti.

Scio opinionem hanc rejici communi calculo Doctorum, & praxi Ecclesiae; nihilominus cordatis viris est attendendum: praeterquamquod advertendi sunt hi, qui solis Indulgentiis volunt satisfacere pro suis peccatis; non autem voluntariis poenitentis, apud plurimos, ac gravissimos Doctores nimis verum reputari dictum Glossae in Clem. 1. de Reliq. & Vener. Sanctor. propd. su. videlicet, paucos indulgentias consequi ob defectum conditionum, quae requiruntur à Pontifice in suscipiente ipsas Indulgentias; quod etiam affirmat ipse Navarrus de Indulgentiis. Not. 17. & Felinus in Sermone de Indulgentiis; quos citat, & sequitur P. Gobat. d. tract. 4. quest. 75. à num. 243. & sequ. ubi & ipse dicitur, multos credentes recipere indulgentias remanere sine effectu earum, ob conditiones non perfecte adimpletas. Praeterquamquod Indulgentiae reatum poenae dimittunt, sed non sunt medicinales pro evitandis futuris peccatis, & non augent meritum, nec thesaurum Ecclesiae, prout faciunt afflictiones, & poenitentiae voluntariae pro hominem justum exercitæ, & assumptæ. Quare Passerinus in trad. de Indulgentiis q. 122. num. 933. ita scribit: Est verò consilium optimum poenitentias injunctas implere, non obstant quod poenitens lucratus fuerit Indulgentiam. Tum quia non est forsan certus, quod per illam Deo satisfecerit, quia potest esse, quod verè lucratus non fuerit. Tum quia adimpletio illa, De Sacramento Poenitentiae.

si non sit necessaria ad satisfaciendum, est utilis ad merendum, & ad augendum thesaurum satisfaciendum in Ecclesia, ex quo possit per Indulgentias satisficere Deo.

Confirmantur hucusque dicta pluribus exemplis Religiosorum, & Monialium; quarum animæ apparuerunt Ven. Sorori Franciscæ à Sanctissimo Sacramento Carmelitæ Difcalceatæ petentes suffragia, ut liberarentur ab igne Purgatorii, in quo cruciabantur, ut legitur in Aureo illo libello, impreso Venetiis per Stephanum Curti Bibliopolam anno 1680. cum Annotationibus Illustrissimi, ac Reverendissimi Mendozæ Episcopi Omenfis; quandoquidem certum est, omnes Regulares utriusque sexus gaudere Indulgentia plenaria in articulo mortis vigore Bullæ Pauli Papæ Quinti incipiens. Romanus Pontifex, &c. quæ in Bullario Romano, inter illas ejusdem Pontificis, est la XXI. quod notant Moralistæ, inter quos Gobat. in tractatu de Indulgentia tract. 4. in Quinario num. 549. Itaque ego confidero, si Regularibus, & monialibus concessa est Indulgentia plenaria in articulo mortis, undè fit, ut harum, & illorum plurimæ animæ torqueantur in Purgatorio, etsi fuerint in strictissimæ observantiae cenobis? Utique dicendum venit, perdifficile esse, assequi indigentias Plenarias. Quod si dicamus Religiosos, ac Religiosas illas detentas fuisse in igne Purgatorii ob peccata Venialia; de quibus in hac vita habuerunt multam complacentiam, & nullum dolorem; sine quo in hac vita remitti Venialia non possunt quoad culpam, & per consequens neque quo ad poenam; adeo ut quod ad utramque debeant purgari per satisfactionem in igne Purgatorii; ut docent Theologi, inter quos S. Thomas 3. par. quest. 87. artic. 1. ad 2. Candidus disquisit. 24. artic. 34. dub. 3. Emin. Cardin. Capisucchius Controvers. 27. quest. 2. §. 14. & Collegium Salmanticen. tom. 11. de Sacramento in genere tract. 6. cap. 5. num. 32. & 51. adhuc ex hac suppositione manifestè resultat necessitas assumendi voluntarias poenitentias ad satisfaciendum in hac vita pro poena temporali debita ex peccatis; attentò quod eadem voluntariae penalitates, & afflictiones valere possunt ad delendas etiam culpas veniales, vel excitando auxilia divina ad eas detestandas; vel causando de ipsis dolorem, & displicentiam saltem virtualem, quæ satis est, ut remittantur quo ad culpam. Suarez de Poenitent. disput. 11. sect. 3. Assert. 3. Collegium Salmanticen. d. capit. 5. num. 40. cumque Venialia fuerint hoc modo dimissa quo ad culpam; facilius est, immò certum, quod remittentur etiam quoad poenam temporalem per Indulgentias plenarias, potissimum in articulo mortis.

DECISIO IV.

ARGUMENTUM.

Expenditur, quid, & quotplex sit Satisfactio? Qui, & quot actus satisfactorii ad tria capita redacti, videlicet ad Jejunium, Orationem, & Eleemosynam. Agitur de Jejunio tàm Quadragesimali, tàm Quatuor temporum, ac Vigiliarum. Plures editiones circa Jejunium primitivorum Christianorum quo ad horam comedendi, quo ad qualitatem cibi, & potus: Ostenditur virtus Jejunii in satisfaciendo pro peccatis.

S U M M A R I U M.

- 1 Satisfactio in genere sumpta quid sit? Et quomplex? num. 4.
- 2 Satisfactio hominis Christiani an sit ex congruo, vel ex condigno?
- 3 Satisfactio an fieri possit per opera de Præcepto?
- 4 Satisfactio alia Antidotalis, alia Civilis, alia Criminalis?
- 5 Satisfactorius actus quinam sint?
- 6 Dolor intensus de peccatis remittit totam penam.
- 7 Jejunium, oratio, & elemosina sunt opera satisfactoria.
- 8 Jejunii valor, & fructus.
- 9 Ambrosiana Ecclesia cur incipiat Quadragesimam die Dominico?
- 10 Castenses quare incipiunt Quadragesimam feria 2. post Dominicam Quinquagesimæ?
- 11 Jejunia primitivorum Christianorum magis penalia circa horam comedendi, circa cibum, & circa potum.
- 12 Xerophagis vescabantur Christiani in die jejunii.
- 13 Ova, ac lacticia an licita in Quadragesima?
- 14 Vigilie Sanctorum, ac Stationes unde dicte?
- 15 Jejuniorum exempla, ac fructus.
- 16 Malachie Regis Hibernie anima in Purgatorio.
- 17 Anima Parochi defuncti 1639. in Purgatorio.
- 18 Jejunium in pane, & aqua quando imponendum à Confessoris.

Atenta itaque necessitate, & utilitate satisfaciendi in hac vita pro pena temporali, quam solvere debet, qui peccavit; tum ob indignitatem peccati, quæ tanta est, ut etiam post remissionem dignum sit puniri aliqua alia pœna; tum ob ordinationem Dei, qui sicut in remissione culpæ exercet suam misericordiam, sic in exactione pœnæ temporalis ostendit suam justitiam; demonstrare hic oportet, qui, & quomodo sint actus satisfactorii? seu quæ sint opera, quibus postsumus satisfacere Divinæ Justitiæ pro prædicta pœna temporali debita pro peccatis jam dimissis?

Pro clariori autem intelligentia est notandum; quod Satisfactio in genere sumpta est redditio voluntaria æquivalentis, alius indebiti. Dicitur Redditio tamquam actus justitiæ de re prius debita, ad differentiam doni, quod gratis datur; si enim de Petro centum, quia debeo, tunc satisfactio: si autem non debeo, dono. Dicitur, Voluntaria; alioquin non est satisfactio, sed satisfactio; ac proinde quia damnati in inferno involuntariè patiuntur pœnas, non satisfaciunt; secus de purgantibus, quia voluntariè secundum affectionem justitiæ pœnas sustinent. Dicitur æquivalentis; id est sufficiens, & proportionatum debito; si enim debeo centum, & reddo quinquaginta, non satisfactio pro toto debito. Quomodo autem homo possit reddere æquivalentem pro offensa facta Deo? & an satisfactio, quam præstat homo pro peccatis dimissis, sit sufficiens de condigno, vel de congruo? & an ex natura rei, vel ex benigna Dei acceptance? & disputant Scholastici, inter quos Suarez de Pœnitentiâ disp. 37. sect. 9. Eminent. Card. de Lugo eod. tract. disp. 24. sect. 1. Eminent. Card. de Lauræa disp. 13. art. 11. & Mathris in 3. sent. disp. 4. quest. 5. & quamvis sub diversis distinctionibus procedant, concludunt omnes, satisfactionem hominis justè esse de condigno, quamvis discordent in assignanda ratione, an ex concursu gratiæ habitualis, & Divini auxilii; an ex Dei acceptance; an verò (quæ est potissima causa humanæ condignitatis) ex applicatione satisfactorii, & meritum Christi, in quo omnis nostra satisfactio, & redemptio est. 1. Cor. 1. unde ait Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8. Dum

pro peccatis nostris satisfaciendo patimur, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra satisfactio est, conformes efficiuntur. Dicitur tandem in definitione, alius indebiti; quia si quis deberet centum Petro ex legato; & alia centum pro mutuo; reddendo hæc centum pro mutuo non satisfaceret pro legato. Hoc tamen intelligendum est de rigorosa justitia; secus de benigntate creditoris, qui potest acceptare unam solutionem pro satisfactione utriusque debiti; & hinc est, quod defendunt Theologi, posse nos satisfacere pro pœna temporali, peccatis dimissis debita, non solum per opera Supererogationis; sed etiam per illa de Præcepto; nam tanta est largitas divinæ munificentiæ, ut dignetur illud opus recipere & pro solutione obsequii, ac obedientiæ per nos debitiæ ejus præceptis; & pro satisfactioe nostrarum culparum, ut infra latius demonstrabimus.

Notandum est secundò, quod satisfactio est triplex, Antidotalis, Civilis, & Criminalis. Prima est, quæ rependitur ex animi gratitudine pro beneficiis, ac favoribus receptis. 1. Sed est. 28. §. Consultat. ff. de Petit. heredit. Glossa in l. Aristo. 18. in Verb. non contrahi. ff. de Donationibus. Et ita cum quis ex liberalitate alicujus recipit beneficium, potest satisfacere beneficianti, si aliquid obsequium, vel aliud illi reddat pro beneficio. Prout etiam si quis ab alio diligitur, potest rependere, & recompensare dilectionem per aliam dilectionem, vel etiam per actus externos, munera, defensionem, protectionem, & similia. Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 13. num. 2. Satisfactio Civilis, est, quæ exercetur in contractibus onerosis, & quotidianis hominum commerciis, puta Emptione, Locatione, Mutuo, & similibus, in quibus satisfit debitor creditori per solutionem pecuniæ, aut mercedis debitiæ; & idè apud Juristas satisfactio intelligitur sub nomine solutionis. 1. Satisfactio. ff. de Solutionibus. l. Solutionis verbo. ff. de Verbor. signif. Eminent. Card. Mantica de Tacitis, & ambig. libr. 20. tit. 5. num. 22. Satisfactio Criminalis est illa, quæ debetur ob injuriam alicui irrogatam; & solet intentari per injuriam in judicio vel ad æstimationem injuriæ, vel ad publicam vindictam, & ipsius injuriantis punitionem. l. Prætor edixit. §. Si dicatur; & §. seq. ubi Glossa ff. de Injuriis. Andr. Gail. Præctica Observ. lib. 1. observ. 65. & Conciolus Resolut. criminal. Verb. Injuria, resol. 1. ubi allegat Criminalitatis disputantes, an peti possit satisfactio ad publicam vindictam, quando intentata fuit ad æstimationem injuriæ; & è contra? Modò omnis homo tenetur Deo retribuere has tres satisfactioes; Antidotaalem ob eximiam suam charitatem, & beneficia tum supernaturalia gratiæ, & gloriæ, tum naturalia creationis, ac conservationis, quibus incessanter à Deo ditatur; ad quam respiciebat David dicens: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Psal. 115. 3. Civilem, in adimplemento omnium Divinorum præceptorum, quæ habent vim contractuum pro obtinendo Regno cælesti, juxta illud Matth. 19. 17. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Et Criminalem, ad recompensandum, quantum homo abstulit Deo per peccatum; cum enim omne peccatum habeat rationem injuriæ, & offensæ, quæ inferunt Deo, sicut ab ejus divina justitia taxata pœna æterna pro peccato mortali; & temporalis pro veniali, ad justè ea punienda; ad has autem pœnas redimendas immensa Dei pietas ordinavit Passionem, ac meritum Christi cum nostra cooperatione, fundata in ejus meritis, & exercenda in usu Sacramentorum; & præcipue per lapsos in peccata post baptismum in usu Sacramenti Pœnitentiæ, cujus virtute commutatur pœna æterna in temporali; & temporalis in aliqua parte solvitur; pro reliqua ve-

ro pœ-

ro pœna remanente satisfaciemus ejus Divinæ Justitiæ per actus satisfactorios eidem gratos, in prædicta Decisione referendos; gratos, inquam, ex Dei benignitate, & ex Christi adjutorio ex valore meritum ejus, ut doctè differit Eminent. Cardin. de Lauræa d. disp. 13. de Pœnit. artic. 5. ubi retundit hæreticos afferentes, quod passio jam, & mortuo Christo Dei filio, homo non remanet obligatus ad satisfactionem aliquam; quam hæreticam assertionem damnavit Concilium Trid. sess. 14. can. 12. his verbis: Si quis dixerit totam penam simul cum culpa remitti semper à Deo; satisfactionemque penitentium non esse aliam, quam idem, qua apprehendunt, Christum pro eis satisfecisse. Anathemasti.

His prænotatis referamus actus satisfactorios, quibus (præter illos injunctos à Confessorio, continentibus tertiam partem Sacramenti Pœnitentiæ, de quibus supra Decif. XXXIV.) postsumus nos liberari à pœna temporali debita pro peccatis.

Primò Satisfactorii sunt actus interni tum charitatis, tum Contritionis, & doloris pro peccatis jam confessis, & dimissis. Eminent. Cardin. de Lauræa d. disp. 13. num. 111. De Charitate testatus est Christus, dum de Magdalena penitente dixit ad Phariseum Luc. 7. 47. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. De contritione, ac dolore peccati facit ratio; quia quo major est contritio, & dolor penitentis, eò minor pena remanet solvenda. Ergo si replicetur, poterit totam delere, ac solvere. Exempla si cupiat Lector de tota pena temporali remissa ob internum cordis dolorem de peccatis legat Speculum exemplorum disp. 5. Exempl. 112. Matthæolum in Sylva Histor. part. 2. lib. 8. tit. 18. & Segnerium in Christiano instructo part. 1. serm. 1. num. 16. ubi juvenis quidam incestuosus cum forete sua, deinde fratricida, ac parricida, pluribusque aliis sceleribus obrutus, cum audisset Concionatorem de Misericordia Dei erga penitentes differenter, tamen contritionem concepit de suis flagitiis, ut vi doloris expiraret ad pedes Confessorii; cui divinitus revelatum fuit, animam illam ob contritionis valorem, eò minor penam remanere absolutam, in cœlum ascendisse.

Secundò Satisfactorii sunt actus exteriores virtutis, qui reducuntur ad tria capita, ut ait Concilium Tridentinum d. sess. 14. can. 13. nempe ad jejunia, orationes, & elemosinas, quod dictum fuit etiam per Angelum Tobie 12. 8. Bona est Oratio cum jejunio, & elemosina. Et horum appellatione veniunt omnia alia opera penalia, ac satisfactoria, de quibus infra. Congruentia horum trium operum est, quia complementur bona omnia, quæ homo potest offerre in satisfactionem, id est corpus, animam, & bona temporalia. Item quia satisfactio consistit in privatione voluntaria alicujus boni; & per jejunium homo privatur delectatione corporis, per orationem recreationibus mundi, & per elemosinam complacencia rerum temporalium. Vel quia homo peccando lædit seipsum, Deum, ac proximum; idè satisfacit per jejunium castigando seipsum; per orationem, honorando Deum; per elemosinam subveniendo pauperibus. Ac etiam quia satisfactio debet esse medicinalis, & per jejunium homo medetur concupientiæ carnis; per orationem superbiæ vitæ; & per elemosinam concupientiæ rerum externarum; ut bene considerat Suarez de Pœnitentiâ disp. 37. sect. 6. num. 10. & doctè S. Thom. supplem. quest. 15. art. 3.

Igitur jejunium est præcipuum opus satisfactorium pro pœna temporali peccati; & eo usi sunt Niniivitæ prædicante Jonâ; nam factum fuit præceptum à Rege, quod homines, & jumenta, & boves, & pecora non gustent quidquam, nec palcantur, & aquam non bibant. Joan. 3. 7. ubi Tirinus notat,

Regem illum fuisse Sardanapalum, & subdit: Qui est perditissimus esset moribus, totisque luxu diffusus, audistis tamen Jonæ prophete minus, compunxit, & conversus est, egique penitentiam cum omnibus suis Niniivitis, ac proinde partem illis est à Deo. Plura erant per annum jejunia de præcepto apud Hebræos, qui ad evitandas pœnas temporales ob eorum peccata sibi imminentes ad jejunium tamquam satisfactorium opus recurrerant, ut advertit idem Tirinus in comment. Zachar. 7. Vers. 2. Et in Ecclesia Catholica ex Apostolorum traditione usque ab initio fuit in usu tum jejunium quadragesimale, tum quatuor temporum, ut demonstrat Eminent. Cardin. Baronius Ann. 57. num. 199. & Ann. 388. num. 81. Hoc quidem adinflat Primitiarum, quas in lege veteri volebat Deus sibi deferri, cumque duodecim sibi mensis anni, per quatuor tempora inditum fuit jejunium duodecim dierum, tamquam Primitiæ mensium. Quadragesimale verò tamquam Decima omnium dierum totius anni; in quo computantur dies trecenti sexaginta sex. Idè jejunabant primitivi Christiani triginta sex dies in quadragesima, hos consecrando tamquam Decimam cum jejunio; at paulò post Patres Apostolici superaddiderunt alios quatuor dies, ut jejunium Christi Domini imitarentur. Ita legitur in cap. Quadragesima 16. de Consecrat. dist. 5. & scribit Petrus Blefensis serm. 13. quem refert Magrius in Hierolexic. Verb. Jejunium. col. 3. subdens, quod ex hac additione orta est in Ecclesiis varietas quadragesimalis in jejunio incipiendo, nam Ambrosiana Ecclesia illud incipit post primam Dominicam Quadragesimæ, jejunans dies triginta sex, more prescico, tamquam Decimam totius anni. Idem faciunt Græci, ac cæteri Orientales, sed incipiunt jejunare à primo die post Dominicam Quinquagesimæ, eo quia ipsi non jejunant Sabbatis, (Sabbato Sancto excepto) & iis detractis, ac diebus Dominicis, summa dierum jejunii ascendit ad triginta sex. At non est ignorandum, in Ecclesia latina omnibus Ecclesiasticis (quamvis hi jejunarent etiam in Sabbato) fuisse debitum incipiendo Quadragesimam, ac jejunium feria secunda post Dominicam Quinquagesimæ ex cap. Statutum. cap. Quadragesima, & cap. Denique. dist. 4. quos Canones, ait ibi Glossa, nunc esse abrogatos, scilicet quoad Clericos sæculares: secus autem quoad Regulares; & idè in Regula Sancti Benedicti cum Declarationibus, & Constitutionibus Patrum Congregationis Casinensis, Confirmatis ab Innocentio Papa XI. Anno 1684. in tit. De Quadragesime observatione cap. 49. in declarat. num. 1. hæc habentur verba: Hanc Quadragesimam declaramus incipere, quo ad abstinentiam hujusmodi, secunda feria post quinquagesimam; ita ut feria secunda, & tertia ante Cineres, abstinentia à lacticiis in omnibus locis ab omnibus Fratribus, Monachis, & Prelatis nostris invariabiliter observetur. Et hinc est, quod in multis Monasteriis Monialium hujus Civitatis Paduæ talis sanctissimus mos servetur, incipiendi jejunium Quadragesimale feria secunda post quinquagesimam; quod nonnulli Confessarii, ignorantes Jus antiquum, & Regulæ declarationem, non verentur damnare, ac parvipendere.

Porrò tacenda non est observantia jejunii primitivorum Christianorum circa horam comedendi, circa ciborum qualitatem, & circa potum. Quo ad horam in Quadragesima non comedebat nisi Vespere, hoc est post occasum Solis, qua hora celebrabant Missam Vespertinam, ut dixi de Sacrificio Missæ Decif. 39. num. 9. ad quam Missam omnes conveniebant, & communicabant, ac completis vespertinis officiis, & datis elemosynis solvebant jejunium. cap. Solent. 50. De consecr. dist. 1. In quatuor autem temporibus comedebant hora nona, tribus

tribus scilicet horis ante Solis occasum, ut ex S. Epiphanio, & Tertulliano demonstrat Eminent. Cardin. Baronius ad Annum 57. n. 199. Eminent. Cardin. Bona Rer. Liturgic. libr. 1. cap. 21. n. 5, ubi refert hæc Prudentii carmina.

Nona submissum votat hora Solem,
Partibus vis dum tribus evolutis,
Quarta devoto superest in axe
Portio lucis.

Nos brevis voti dape vindicata
Solvimus Festum, fruimurque mensis,
Affatus plenis, quibus imbuatur
Præna voluptas.

Hunc usum cenandi vel propæ, vel in occasu Solis in die jejunii primitiva Ecclesia videtur mutuata à Judæis, quos S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinian. tradit, non nisi sub stellæ ortu cenare consuevisse, eundemque morem servare etiam nunc Christianos in Æthiopia, testatur Patriarcha Mendezius lib. 11. cap. 9. num. 10. nec non Mahumetanos P. Ludovic. Marracius in Prædono ad refut. Alcorani part. 3. cap. 12. pag. 34. sic scribens de ridiculis imò nefandis Turcarum jejuniis: Horum forma in hoc fita est, ut per mensem lunarem nihil comedant, aut bibant tempore diurno, reliquo vero tempore, per totam noctem comedant, bibant, ingurgitentur, & delectantur in uxoriis subagitantibus, & per vias urbis in morem ebriorum, vel fanaticorum curstantes, bæcæbanalia voridis celebrent, quam jejunia.

At his immodicis ablegatis, laudabilem consuetudinem unicæ comestionis vespertinæ in jejunio ad huc vigere apud omnes Christianos Orientales notat etiam Magrius in Hierolex. Verb. Jejunium col. 1. Verum enim, verò in Europa ex indulgentia Ecclesiæ vel ob adactam corporum inebellitatem, vel diminutum animarum fervorem, permixtum est jejunantiibus cibum capere in meridie; prout etiam ex eadem indulgentia jejunium, quod erat de præcepto bis in singulis hebdomadis, redactum est ad solam abstinentiam à carnibus feria sexta, & Sabba per totum annum. cap. Quia dies 31. De consecrat. dist. 5. cap. ult. de observ. jejun. Layman. lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 8. & cap. 2. n. 3. advertens consuetudinem permittere quoque cœnulam, seu collationem nocturnam in die jejunii ad conciliandum somnum; quapropter addit Azorius lib. 7. cap. 8. g. 8. corruptelam esse, si in ea cibi sumuntur, qui potissimum ad nutriendum valent, qualia sunt legumina, & pisces.

Quò verò ad qualitatem ciborum Ecclesia Catholica ad differentiam Judæorum, & Turcarum comedendum carnes, ova, & lacticia; ab his omnibus semper abstinit; imò tanto rigore primitivi Christiani jejunabant, ut in diebus jejunii neque pisces comederent, neque pulmenta; sed solis fructibus siccis, qui Xerophagia vocabantur, essent contenti, ut bene observat Magrius in Hierolex. Verb. Xerophagia. tom. 2. Epist. 7. allegantes Concilii Laodiceni can. 50. præcipientis, quod Oportet totam Quadragesimam jejunare, Xerophagiis utentes; & auctoritatem Tertulliani dicentis lib. 1. ad vers. Pſchicos: Xerophagiam observamus, siccantes cibum ab omni carne (id est piscium) & inveniuntur, & viciatioribus quibusque pomis, ne quid vino statim vel edamus, vel potemus. Nam & de potu vini abstinebant, sitim pura aqua extinguentes; & quia non comederant, nisi hora vespertina, idè etiam à quocumque potu erant alieni in die jejunii, quocirca cum S. Fructuoso Martyri, dira siti laboranti in martyrio, exhibuissent Christiani poculum aquæ, eam recusavit, quia dies jejunii erat, & nondum venerat hora sumendi cibi, vel potus; undè de hac refutatione cecinit Prudentius, relatus ab eodem Episcopo Sarnelio, d. Epi-

sol. 7. & ab Eminent. Card. Bona Rerum Liturgic. d. lib. 1. cap. 21. n. 5.

Jejunamus, ait, vesco potum,
Nondum Nona diem resolvit hora.

Nunc autem ex indulgentia Ecclesiæ concocti cibi, pulces cum oleo, & pisces in diebus jejuniorum liciti sunt, ac etiam potus vini, non solum in comestione, sed etiam postea; quia ut inquit S. Thomas 2. 2. q. 147. art. 6. Sumitur ad digestionem ciborum assumptorum magis, quam ad nutritionem; licet aliquo modo nutriat. At carnis, ovorum, ac lacticiolorum esus in Quadragesima est penitus interdicitus, & Alexander Papa VII. die 18. Martii 1666. inter cæteras scandalosas opiniones, etiam illam damnavit, quæ attribuit Ecclesiæ consuetudinem abstinenti in Quadragesima ab esu ovorum, ac lacticiolorum non obligare. Quamvis Sedes Apostolica dispense cum diversis populis penuriam piscium, aut olei patientibus, ut infra hebdomadas Quadragesimæ aliquibus diebus possint ova, & lacticia comedere, ut in montibus hujus Diocesis Patavinae, vulgò Li Sette Comuni est in praxi. Nec omittendum, quod notat Layman. d. lib. 4. tract. 8. cap. 2. num. 2. scilicet in aliquibus Galliæ partibus consuetudinem permittere carniem esum in die Sabbati à Natali Domini usque ad Purificationem; & in Hispania pecorum intestina, ac extremitates concessum esse comedere in diebus Sabbatis per annum. De aliis autem Vigilis Sanctorum cum præcepto jejunii extat Præceptum Ecclesiæ in tit. de Observat. jejun. quæ quidem jejunia vocantur Vigilie, quia, fideles sumpta brevi cœna in Vespere ante festivitatem vigilabant tota nocte in Ecclesia adstantes orationibus, ac divinis officiis, quæ etiam Stationes dicebantur, ab existentia ipsa quam Christiani more militum in castris præstant in Ecclesia jejunantes. Layman d. cap. 2. num. 7.

His ad ornatum materiæ de jejunio breviter dictis, revertentes ad ipsum jejunium tamquam opus satisfactorium pro peccatis temporalibus luendis ob commissâ, & dimissa peccata; fuit omni tempore præcætuatum à penitentibus, ut testantur Historiæ Ecclesiasticæ, ac Vitæ Sanctorum. Refert Eminent. Cardin. Baronius Anno 57. num. 196. exempla plurima rigorosi jejunii, quod Christi fideles tempore S. Hieronymi, S. Gregorii Nazianzeni, ac S. Augustini servabant, ut satisfacerent Deo pro suis culpis. S. Corporum Episcopus Hieronymus, qui obiit anno 886. dum suam exerceret sollicitudinem Pastoralem vivens, vidit animam Malachie Regis ejusdem Insulæ in igne Purgatorii cruciatu magno patientem; cumque sibi ab ea postularentur suffragia statuit cum Canonici suis ter in hebdomada pro ipsa jejunare; & completo anno eadem Anima apparuit ei dicens, satisfactum esse penis à se debitis, & ascendere ad cœlorum Regnum; ita Hieronym. à Basilica Petri in Ephemero. d. Sacris 6. Martii Anima Antonii Martinezzii Curati Parochialis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Stella Diocesis Calaguritanæ, defuncti die 6. Aprilis 1639. quæ apparuit cuidam suo Parochiano, (ut retuli de Sacrificio Missæ Decif. XXXIV. n. 13. & 14.) inter cætera suffragia, quæ petit ab ipso (ibi per me enarrata) postulavit, ut jejunaret septem sextis feriis in pane, & aqua; etenim jejunium plurimum valet ad satisfaciendum Deo pro peccatis. Hinc agebat S. Jo. Chrysostomus Hom. 1. de Jejunio: Jejunia; quia peccasti; scilicet, ut satisfacias pro peccata temporalia debita, pro peccatis; nam, & S. Bernardus Serm. 4. de Quadrages. testatur dicens: Jejunium delet peccata præterita, quæ commisisti. Et S. Thomas 2. 2. qu. 147. art. 1. inter tria bona, quæ nascuntur à jejunio, ponit satisfactionem pro peccatis; quia, inquit, Jejunium assumitur tertio ad satisfaciendum

pro

pro peccatis. Hinc in Canonibus Pœnitentialibus descriptis in fine Decreti Gratiani, & relatis à Reginaldo in Præf. Pœnit. libr. 7. n. 54. ferè ad omnia peccata inter alias penitentias erat injunctum jejunium, & quidem rigorosum. Exempli gratia, qui blasphemiam protulerit in Deum, vel Sanctos, jejunet in pane, & aqua septem sextis feriis, cap. ult. de Maledic. Item qui perjurium sciens admisit jejunet quadraginta dies in pane, & aqua. cap. Qui cumque. 6. quest. 1. Qui alium ad pejerandum induxerit, quadraginta dies ponit in pane, & aqua. cap. Si quis pejeraverit 22. q. 5. Mensuras adulterans viginti diebus jejunet in pane, & aqua, cap. 2. de Emptr. & Vendit. Et ut alias plures consimiles penitentias pro peccatis Laicorum omittamus, considerabillis est illa, quam Canones antiqui imponebant Presbytero fornicati; de qua in cap. Presbyter ult. dist. 82. ubi ita legitur: Si in vitio non perseveraverit, sed sua sponte confessus adiecit, ut rejuget, decem annis in hunc modum ponit: tribus quidem mensibus privato loco, à cæteris remotus pane, & aqua à Vespere in Vespere utatur: tantum autem diebus Dominicis, & præcipuis festis nudoque vino; & piscium, atque leguminibus vescatur, sine carne, & sagmine, ovis, & calce. Sacco indutus humi adhaereat, die, ac nocte jugiter misericordiam Dei omnipotentis imploret; & paulo post: Postea aliquantisper resumptis viribus unum annum, & dimidium in pane, & aqua explet, exceptis Dominicis, & præcipuis festis. Et infra: Deinde vero usque ad expirationem septimi anni, omni quidem tempore exceptis Paschalis diebus tres legitimas ferias in unaquaque hebdomada in pane, & aqua jejunet. Et ultimo: Finitis autem septem annis, deinde usque ad finem septimi anni sextam feriam (nulla interveniente redemptione) observet in pane, & aqua. Ecce quam rigorosa penitentia pro lapsu carnis in Presbytero; & quanta vis, & valor satisfactoria in jejunio.

DECISIO V.

ARGUMENTUM.

Cilicium, quod est magna virtus ad satisfaciendum pro peccatis, unde dictum? Quid, & Quotuplex sit? De Ciliciorum usu in lege Naturæ, Moysis, & Christi. De Cilicio Jacobi Patriarchæ, Achabi, Davidis, Joram, Judithæ, Isaïæ, Machabæorum, S. Joannis Baptistæ; nec non Summorum Pontificum Romanorum, Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, Sacerdotum, Virginum, & Laicorum; atque de his omnibus exempla plurima, & non injucunda.

SUMMARIUM.

- 1 Cilicium unde dictum? Quotuplex? num. 2.
- 3 Cilicia pro usu Penitentiae antiquissima; Exempla legis Naturæ, & Moïsaica. num. 4. Et Legis gratia num. 5.
- 6 Testatur Ecclesia pro Indulgentiis unde constat?
- 7 Cilicia Summorum Pontificum.
- 8 Cardinalium.
- 9 Episcoporum.
- 10 Abbatum.
- 11 Sæcularium Presbyterorum.
- 12 Regularium.
- 13 Virginum.
- 14 Viduarum.
- 15 Laicorum hominum.

Praeter jejunium, ad satisfaciendum pro peccatorum peccatis, semper reputatum fuit magna

Virtutis Cilicium: idècirò de eo, tamquam præcipuo Penitentiali opere, est agendum. Cilicium ita nominatur à Cilicia Provincia, in qua, ut scribit Varrò lib. 2. de Re rustica, cilicia texebantur; quædam scilicet indumenta è pillis caprinis, ita densa, ut in defensionem militum fervirent; nec non apta forent ad erigenda in castris tabernacula, & tentoria ad exercitus castrametandos, quod Arabes, & Saraceni in deserto facere consueverunt; & de his tabernaculis è pillis caprarum contexti agebat Sponsa in Cantic. 1. Nigra sum, sed formosa, sicut Tabernacula Cedar. Nam Cedar fuerat filius Ismaelis, à quo descendunt Ismaelitæ, & Agareni, soliti habitare sub prædictis tabernaculis, ut testatur etiam Regius Pldates dicens Pſal. 63. Disposuerunt tabernacula Idumæorum, & Ismaelitæ; quod fufidus docet Magrius in Hierolex. Verb. Tribunas, quod est verbum graecum significans Cilicium, unde S. Theodorus vocabatur Tribunas à Graecis ob continuum, & asperum cilicium, quod in suo corpore gerebat.

Duplex est forma Ciliciorum. Una est quoddam indumentorum asperum, è pillis caprarum, seu camelorum, aut aliorum animalium contextum; quod induere soliti sunt non solum sancti homines super nudam carnem penitentibus causa, sed etiam illud deferri à penitentibus; ad humeros, & latera constructum cum nimia, ob puncturas ejus, afflictiones, mox semper fuit in lege tum naturæ, tum Moysis, tum Evangelii ad placandum Deum, & ad satisfaciendum ejus divinæ Justitiæ pro culpis patris. Nec ignoranda hæc penitentium methodum videtur Poetæ ipsi profani; ait enim Ovidius Epist. 9.

Aspera tesserunt vellera molle latius.

Nec non Tibullus lib. 1. Eleg. 9.

Horrida villosa corpora veste tegam.

Et plura de his ciliciis, eorumque usu legi possunt apud Pignorium Epist. 3. ad Franc. Viduam J. C. quem refert Vossius in Etymolog. ling. lat. Verb. Cilicia.

Altera autem est Cilicis species, à duobus præteritis sæculis citra deducta in usum; etenim scilicet, adinstar cinctorii, ex filo ferreo, seu ex aruralico, vel argento compacta; quæ lumbi penitentium, & hominum Deo servientium præcinguntur, cum minori læsione sanitatis, etsi non cum minori vexatione corporis, non enim inflammant jecur, & sanguinem ut faciunt Cilicia villosa, causantia calorem magnum in hepaticis; at assiguit, ac dentulis aculeatis jugiter pungit renes, ac lumbos, ubi luxuriei vasa resident, mirabiliterque deservit ad reprimendos motus carnis, & ad tuendam castitatem; quod proficitur Ecclesia in Hymno Matutinali Sabbati, canens:

Lumbos, securque morbidum

Flammis adare congruis,

Accincti ut artus excubent,

Luxu remoto pessimo.

Cæterum de Ciliciis ex pillis caprarum, & camelorum compositis, & contextis loquentes, ea antiquissima esse constat, & iidem usos fuisse homines ut se affigerent ad Deum placandum, & ad satisfaciendum pro peccatis; siquidem habent exempla, ut dictum est, etiam tempore legis naturæ; videlicet in Patriarcha Jacob, qui vivebat ante Christum annis mille octingentis; de ipso enim testatur Scriptura Sacra, quod credens filium suum Joseph, quem fratres Ismaelitis venderant, à feris devoratum, Scissis vestibus, indutus est cilicio, luges filium suum multo tempore. Genes. 37. 34. Quo loci ita notat Cornel. à Lapide: Præterea, qui in luto sacco, sive cilicium indutus legitur, fuit Jacob hoc loco, unde postea idipsum ejus posteris, puta Israelite, in luto imitatus fuit; hinc etiam in Vestibus Christianorum penitentium, jam olim erat cilicium.